

*Christiano non dicam plurimas sed nec duas simul (vel uxores vel concubinas, ut in veteri testamento) habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem aut loco uxoris, si conjux deest, (in quo iterum a Veteri Testamento nova differentia sita est) concubinam.*

d) Extat in canonibus illis Apostolicis 17. *Si quis post baptismum secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.* Vid. Joh. Ludov. Ruelium *T. 1. concil. illustr. p. 106* Hic equidem interdicitur concubinatus Clericis sed non Laicis. Quamvis autem confiter, canones illos esse supposititios, & seculo demum quinto aut serius fictos, illustrationis tamen gratia eo uti possemus, quod tempore fictionis hujus nondum creditum fuerit, concubinatum in universum esse illicitum, nisi constaret, a multis credit, ab hæreticis eos canones esse compositos. Vide Ruelium *in disc. præmiati ad illos canones d. Tom. 1.* Ergo hoc quidem argumento supersedebo.

e) Cum hic versetur in negativa, probatio a nobis non est postulanda, sed ostendendus erit locus ex conciliis concubinatum damnantibus. Deprehendi equidem, postquam hæc scripseram, Gonzalez Tellez *ad cap. 6. de cobab. Cler. & Mul. f. 74.* jam a primis Ecclesiæ seculis putare prohibitum esse in variis conciliis, concubinatum tam laicorum, quam clericorum, atque provocare ad exempla quædam quæ ipse adduxerit *in concil. Elibert.* Sed quemadmodum in ipso concilio Elibertano nulla talis prohibitio legitur, ita commentarius ille Tellez ad istud concilium non est ad manus, unde non possumus ad illam objectionem distinctius respondere.